

na conscientiam. Et ratio est, (In 4. d. 47. q. 1. a. 5. q. 1. ad 2.) quia possessor male fidei est in continuo statu peccati mortalis, rem alienam scienter detinendo: illa autem, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur; quia, ut Innocent. IV. dicit in cap. Non debet 8. de consang. affin. *Diuturnitas temporis non immutat, sed auget peccatum.* Adde, quod alioquin aperiretur via furibus ad præscribendam, indeque multiplicarentur in immensum, in detrimentum, & destructionem Reip.

Est autem bona fides credulitas, seu actus intellectus, quo quis inculpabiliter credit rem esse suam, aut nescit esse alienam. Dico: inculpabiliter; quia, ubi error, aut ignorantia, unde hæc persuasio procedit, est culpabilis, non est bona fides.

Dices 1. Admittenda est præscriptio, quam Leges civiles admittunt; atqui Leges civiles admittunt præscriptionem cum mala fide, ut videtur concessum, & patet ex L. Sicut, & L. Si quis C. de præscript. 30. vel 40. annorum l. 7. tit. 39. ergo. Huic argumento duplex adhiberi potest solutio. Unde R. 1. D. Maj. Admittenda est præscriptio, quam admittunt leges civiles, si non repugnet bonis moribus, nec improbetur a Jure Canonico, C. secus, N. Repugnat autem bonis moribus præscriptio cum mala fide, quia sic præscribens est in continuo peccato, & ideo improbat a Jure Canonico. (Quodl. cit. Ibid.) Porro hujus contrarietas inter Leges civiles, & Canonicas ratio est, quia alius est finis, quem intendit civilis Legislator, scilicet pacem servare, & stare inter cives, quæ impeditur, si præscriptio velletur legitimis possessoribus; finis autem Jura Canonici tendit ad quietem Ecclesie, & salutem animarum: nullus autem in peccato salvari potest, nec penitere de damno, vel de alieno, nisi recompenset. R. 2. D. Min. Leges civiles admittunt præscriptionem male fidei pro foro exteriori tantum, C. pro foro conscientie. N. Eatenus ergo Leges civiles admittunt præscriptionem contra possessorem 30. vel 40. annorum, nec cogunt ipsum ad allegationem tituli, nec curant, an bona, vel mala fide possideat; ne, ut dixi, pretextu male fidei legitimi, & bonæ fidei possessores vexentur, sicque turbetur tranquillitas publica continuis litibus: non autem quod conferat dominium in conscientia possidenti mala fide: imò, si apparet mala fides, possessio nihil prodesset, & cogere possidentem etiam in foro exteriori restituere. Ita L. Si quis emptiois C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 7. tit. 39. Ubi dicitur: *Si bona fide ab initio eam rem tenuit, simili possit uti præscriptio* (scilicet exceptionis 30. vel 40. ann.) *sin vero mala fide eam adeptus est, indignus eo videtur.* Et Innocent. IV. in cap. Quia plerique Extra. de immunitate Ecclesie dicit: *Nec oves, quod diximus de præscriptione 30. vel 40. ann. quia ibi Jus non dat aliquod dominium possidenti, sed tantum in odium adversarii datur ei exceptio: sed in eo, cujus est exceptio odiosa... dicimus, quod tenetur reddere.* Sic etiam resolvit Pontas ex Domat. v. Præscriptio cas. 8.

Inst. contr. 1. Resp. possessor male fidei legitime acquirit dominium rei possessæ post tempus a Lege definitum: ergo præscriptio male fidei non est contra bonos mores. Prob. Ant. Potestas civilis habet auctoritatem transferendi rerum dominia, ut dicemus infra; atqui re ipsa confert possessori male fidei per præscriptionem, quam approbat: ergo. R. N. Ant. ad prob. posset distingui minor ad sensum secundæ Resp. Sed insistendo 1. Resp. & majoris explicationis gratia D. Maj. Potestas civilis habet auctoritatem transferendi rerum dominia, ubi id exigit bonum commune, C. ubi id non exigit bonum commune, N. (Ibid. ad 1.) Igitur omnia sunt quidem Principum ad gubernandum, sed non ad retinendum sibi, vel ad dandum aliis; & si quæ Leges tales sunt, tyrannicæ sunt, & non absolvent a conscientia, sed a foro judiciali, & violentia, nisi id exigat bonum commune. Non exigit autem bonum commune, quod possessori male fidei transferatur in conscientia dominium rei possessæ. 1. Quia ut Jura laud. locuntur, eo beneficio indignus est. 2. Quia hoc beneficio inescati homines ut plurimum bonis fortunæ inhiantes, per fas & nefas occupare aliorum bona contenderent in perniciem Reip. 3. Sufficienter succurrit tranquillitati communi denegando actionem in foro exteriori contra iniquum possessorem, cujus mala fides probari non potest: sic enim legitimi possessores sunt securi ab injusta vexatione.

Dices 2. Possum præscribere contra eum, quem scio habere jus servitutis in meo prædio, v. gr. agendi suum

currum per illud, pascendi gregem in illo, &c.; atqui est ibi mala fides, cum adsit scientia juris alieni: ergo. R. N. Min. Licet enim sciam, illum habere jus servitutis in meo prædio, quale exponitur in instantia, nihil tamen ego illic, nec aliquid omnino, quod debeam ponere; non enim teneo illum monere, ut suo jure utatur: sum ergo in bona fide, quia bona fide sino (quod mihi licet) illum jure suo non uti, & mihi libertatem reddi, seu creari. Secus esset, si alter haberet jus, non quidem aliquid faciendi circa rem meam, sed ut ego aliquid non faciam v. gr. ut altius non ædificem, ut fenestras in hortum ipsius non aperiam, &c. tunc enim, ut exstinguerem illud jus, requireretur, ut illud ignorans bona fide facerem contrarium, & ille per certum tempus non contradiceret.

Aliud est ergo (Nota bene) obligatio aliquid omitendi, vel faciendi, aliud obligatio aliquid tolerandi, aut permittendi, si alter exigat: ad extinguendam priorem obligationem requiritur ignorantia juris alterius: alioquin peccatur agendo contra illum, & consequenter subest mala fides: ad extinguendam vero posteriorem obligationem sufficit sola negligentia, aut cessatio exactoris, quantumvis conscius sim illius juris; quia, ut dixi, non teneo ipsam monere, sicque sine peccato, proinde bona fide sino, ipsum non uti jure suo.

Pari modo, & ob eandem rationem præscriptio currit contra Leges obligantes ad penam pecuniariam infligendam per judicis sententiam, v. gr. ob non solum vectigal, ob venationem loco, aut tempore prohibito: secus tamen de debitis pecuniariis, quæ non sunt in penam, aut de actionibus ad illa. Et ratio disparitatis est; quod in his, etsi non interpellat creditor: monet tamen terminus solutionis elapsus: unde, cum debitor non solvendo peccet, non est in bona fide, proindeque non potest in ejus favorem currere præscriptio, ut patet etiam ex cap. fin. cit. Ut igitur præscribatur tale debitum pecuniarium, aut actio ad illud, requiritur, quod debitor certo temporis spatio existimet, se nihil debere, aut patet esse solum, vel condonatum. Sed in debitis, quæ sunt in penam, ut si Lex decernat centum libras solvendas ab eo, qui fraudaverit vectigal, qui venatus fuerit in loco prohibito, &c. Item, si bona mea Fisco sint addicta ob crimen commissum, non teneo monere, aut offerre bona mea Fisco, nisi exigantur; & sic ex hac parte sum in bona fide, curritque præscriptio tacente ex actore per certum tempus.

Dices 3. & specialiter contra modò dicta de debitis pecuniariis. In variis Provinciis per Leges municipales, Familiæ, Operarii, Medici, Chirurghi, Pharmacopole, Venditores rerum ad consumptionem, &c. qui intra certum tempus post præstitum servitium, aut merces venditas non petunt mercedem pactam (in Belgio assignatur biennium Edicto Caroli V. in consuetudine Parisiensi art. 125. assignatur annus tantum) excluduntur a jure petendi, nisi de ditoris chyrographum ostendant. Item Philippus II. pro eodem Belgio sancivit, ut non nisi tres anni censuum exigi possent, etsi plures deberentur: ergo. R. Juxta communem Doctorum intelligentiam has leges non eximere in conscientia debitores ab obligatione solvendi, si reverà non solverint; sed valere dumtaxat pro foro exteriori sic ut in eo denegetur actio præfatis creditoribus, & hoc merito; quia alioquin, cum minuta debita, & eorum solutiones facile memoria excidant, debitores subjacerent periculo sæpius idem solvendi, & lites super iis perpetue suscitarentur.

§. V. Utrum bona fides, orta ex quavis ignorantia inculpata, sufficiat ad præscriptionem?

Dico 1. Bona fides, orta ex ignorantia facti inculpata, sufficit ad præscriptionem, ut si accipias a Religioso, vel Monacho, putans bona fide non esse Religiosum, aut Monachum. Est certa, & communis, habeturque expressè L. Juris ff. de juris & facti ignorantia, at patebit modò. Et ratio est; quia, cum bona fides requisita ad præscriptionem oriatur semper ex aliquo errore, vix haberi posset præscriptio, si error facti non sufficeret, maxime cum sit difficultas de errore juris, ut modò dicam.

Dico 2. Bona fides fundata in ignorantia inculpata juris obscuri, & vere dubii sufficit ad præscriptionem. Sylvester v. Præscriptio 1. q. 3. §. 3. & alii communiter. Qui, cum Jus est obscurum, & dubium, non præsumitur in eo, qui ignorat, mala fides, qualem præsumunt Jura, quando Jus est clarum, ut modò dicam. Franciscus Henno fingit, rem esse dividendam proportionatè ad rationes utriusque militantes; sed quo fundamento, non ape-

aperit, nec video, cum supponatur præscribens ignorare inculpate rationes contrarias; si enim sciret; jam non foret inculpate ignorans, sed dubius.

Dico 3. Ignorantia inculpata Juris clari probabiliter non sufficit ad bonam fidem requisitam pro præscriptione. Est communior. Prob. L. Juris cit. ubi dicitur: *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* L. Numquam ff. de usucap. Numquam in usucapione juris error possessoribus prodest. Item L. Pro emptore §. Si a pupillo. l. 5. ff. pro emptore. lib. 41. tit. 3. *Si a pupillo emero sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem, dicimus usucapionem sequi. Quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine Tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia Juris error nulli prodest.* Ex quibus conficitur hoc argumentum. Vis præscriptionis ex Legum dispositione pendet; atqui Leges non admittunt præscriptionem fundatam in ignorantia etiam inculpata Juris, præsertim clari, ut patet: ergo. Conf. cum mala fide nullo tempore procedit præscriptio; atqui is, qui per ignorantiam Juris rem acquirit, habet malam fidem, ut Jura loquuntur. L. Quemadmodum C. de agricolis & censitis: ergo.

Excipiunt tamen hujus sententiæ patroni eos, in quibus Jus error toleratur, ut sunt Mindrennes, Rustici, Mulieres, &c. quia Jus in iis non præsumit malam fidem, si aliquam diligentiam adhibuerint. Item plerique illorum existimant errorem juris clari, etsi non sufficit ad præscribendam rem ipsam, sufficere saltem ad præscribendos fructus rei: quia, inquit, error circa fructus videtur esse error facti, putat enim possessor, se illos percipere ex re sua.

Dico 4. Mihi probabilis est, ignorantiam inculpata Juris clari, si detur, sufficere ad bonam fidem, nec officere præscriptioni, saltem longissimi temporis, scilicet 30. annorum, ad quam non requiritur titulus. Ita Joann. Medina, Covarr. ad Reg. Possessor. p. 2. §. 7. concl. 2. & alii apud Lessium, qui tenent eandem sententiam. Prob. Covarravie & ejusdem Lessii rationibus. 1. Præscriptio tricenaria non requirit titulum, sed tantum possessionem bonæ fidei tanto tempore continuatam; atqui, qui errat in jure etiam claro, potest habere bonam fidem & possidere tempore præscripto: ergo. Prob. Min. Quia, ut suppono, fecit quod commodè potuit, ut cognoscat Jus, aliis ejus ignorantia non foret inculpata, qualis supponitur: ergo habet bonam fidem. Conf. Error circa Jus obscurum non excludit bonam fidem, quia supponitur invincibilis ex hoc, quod homo fecit quod in se erat, ut cognosceret veritatem: ergo similiter, quando Jus est quidem secundum se clarum, sed tamen quærenti ignotum, si fecit, quod in se est, ut assequatur veritatem.

Prob. 2. Ideo ignorantia juris clari impedit præscriptionem, quia, qui illud ignorat, præsumitur habere malam fidem, vel etiam reverà habet secundum modum loquendi in Jure; atqui secundum Jus civile præscriptio tricenaria habet locum etiam cum mala fide, ut dictum est. Statim respondet, Jus civile quoad hoc esse emendatum per Jus canonicum. Equidem. Sed non est emendatum nisi quoad malam fidem, quæ sit cum peccato, ut patet ex Juribus laudatis: non est autem peccatum in possessione, ubi error est invincibilis, proindeque Jus civile quoad hoc non est emendatum.

Ad rationes in contrarium R. 1. Jura illa intelligenda esse de Præscriptione, quæ sit tempore ordinario 10. vel 20. annorum, non vero de Præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. ann. Quia, ut observat hic Lessius, Præscriptio tricenaria Jure Pandectarum, unde prælatæ leges citantur, non est cognita, sed Jure Codicis introducta. Adde in Jure sæpe dici quædam præscribi non posse, quia non præscribuntur tempore ordinario, licet præscribantur tempore extraordinario, ut sunt v. gr. legata, fideicommissa, furto ablata, &c. R. 2. Illa Jura procedere ex præsumptione male fidei; jure enim præsumitur aliqua negligentia, aut culpa, adeoque mala fides in eo, qui Jus clarum & evidens ignorat: & ideo in foro externo non prodest talis error, nisi probetur, adhibitam fuisse omnem diligentiam; at tamen prodesse potest in foro interno, ubi cessat præsumptio & statur pro veritate. Ad conf. R. pariter talem vocari malam fidem ex præsumptione, aut saltem non esse malam fidem, quæ sit cum peccato, quæ sola officit Præscriptioni. Et sane, cum Jura universaliter & indifferenter loquantur de errore juris, non distinguendo inter Jus clarum & obscurum; non video, cur error juris clari potius officeret Præscriptioni, quam error juris obscuri, si utriusque sit inculpatus; quod tamen ultimum satis communiter Theol. Billaart. Secunda secundæ.

admittitur. Hoc unum fateor rariorem, & raro admittendum esse errorem inculpatum juris clari, quia regulariter mediocri diligentia depellitur.

§. VI. Utrum dubitans, sitne res sua vel aliena, sit possessor bonæ fidei, possitque præscribere?

Dico 1. Quia ante inchoatam possessionem dubitat, sitne res sua, an aliena, non est possessor bonæ fidei, nec potest præscribere. Ita communiter. Quia non est ratio, cur ille potius rem possideat, quam alter; proindeque sibi vindicans facit injuriam alteri, & se exponit periculo usurpandi alienum.

Dico 2. Qui post initam bona fide possessionem dubitat sitne res sua, an aliena; si facta diligenti inquisitione non deprehendat esse alienam, probabiliter remanet possessor bonæ fidei, potestque Præscriptionem continuare. Ita Sylvester, Navarr. Covarr. Sylvius. Pontas v. Præscriptio. cas. 8. & communiter contra Soto, & aliquos Recentiores.

Plures probant hanc assertionem ex cap. cit. finali de Præscript. ubi dicitur: *Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Et ex cap. Si virgo 24. q. 1. ubi dicitur: *In jure prædiorum tantum unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienam;* atqui, inquit, quibus non est sibi conscius rem esse alienam, & ignorat se possidere alienum: ergo. Verum, inquit alii, datur conscientia non solum certa, sed & dubia & probabilis; neque dici potest simpliciter ignorare se possidere alienum; qui dubitat, aut probabiliter credit esse alienum. His itaque probationibus in sua probabilitate relictis, aliunde

Prob. 1. Conclusio. Juxta Reg. Juris: *In dubio melior est conditio possidentis;* atqui hanc meliorem conditionem sic intelligunt omnia Tribunalia, tam civilia, cum Ecclesiastica, ut totum adjudicent Possessori: isque est omnium hominum sensus, ut credant se tuta conscientia retinere, quod sibi ratione possessionis adjudicatum est: ergo. 2. Cum homines ex una parte rerum avidi non soleant res suas apud alios relinquere, sed diligenter eas custodiant, & ex alia vir probus non solet acquirere possessionem alicujus rei absque justo titulo: tunc quando in bonis fortunæ dubium independentè a possessione oritur utrimque æquale, ipsa possessio magnam infert præsumptionem possessorem esse dominum rei, quam possidet. Igitur, quamvis possessor in nostro casu dubitet speculative, sitne res sua an aliena, & an possit eam retinere; attamen ex duplici principio posito potest reflexè sibi formare judicium practice certum: sic 1. secundum Jura possessio bona fide inchoata est sufficiens ratio in dubio superveniente ad rem sibi retinendam; atqui possideo possessione cum bona fide inchoata: ergo. 2. In pari dubio probabilis est ex ipsa possessione possessorem in bonis fortunæ esse dominum rei, quam possidet; sed licitum est sequi id, quod est probabilis: ergo.

Scio, quosdam recentiores negare hoc effectum *In dubio melior est conditio possidentis*, reperiri in Jure Canonico: sed errant. Et enim cap. Ad aures Extra. de Præscriptionibus, lib. 2. tit. 26. Alexander III. dicit Mauritano Episcopo: *Tuæ fraternitati tenere presentium innolescat, quod de Jure Divino & Humano melior est conditio possidentis, quia quadragesimalis Præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Item Reg. Juris 65. sic habet: *In pari causa melior est conditio possidentis:* quod idem est. Insuper dato, quod hæc regula in terminis non reperiretur in Jure Canonico, sufficeret, quod illam sua praxi approbat Ecclesia juxta illam formando sua judicia, lites dirimendo, de Beneficiis disponendo, uti constantè facti.

Dixi in conclusione: *qui dubitat, sitne res sua, an aliena;* quia si dubitaret, an possit eam retinere, amitteret bonam fidem, nec posset præscribere, ut habetur expressè L. Si fur ff. de usucapionibus. Et ratio est, quia tunc ageret cum conscientia dubia, ideoque illicitè & cum mala fide.

Dices cum Perfectore Tournelli. 1. ad bonam fidem requiritur, ut quis quietè & tranquillè judicet rem esse suam; atqui in dubio fundato non potest hoc quietum & tranquillum judicium efformare, sed vacillans tantummodò: ergo. 2. Non licet se exponere periculo rem retinendi alienam; sed, qui dubium grave & discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi. 3. Non satis explicatur, cur non liceat possessionem inchoare cum dubio, eandem verò liceat cum dubio continuare: ergo. R. Hæc argumenta facile solvi ex principiis positus. Unde ad 1. D. Maj. ad bonam fidem requiritur, ut quis quietè & tran-

quillè judicet, rem esse suam, iudicio practico, C. iudicio speculativo, N. dubitans autem speculative in casu, reflexè ad principia possita, iudicat certò practico, rem esse suam, seu saltè esse eam referre ut suam: tùm quia ex possessione fundatè præsunt esse suam; tùm quia Jura permittunt possessionem bona fide inchoatam posse, non obstante dubio superveniente, continuari, ut patet ex dictis. Jure autem id posse nulli dubium esse debet, si enim possint quandoquè transferre dominium, a fortiori possessionem, quæ est quid minus. Porro, quod licitè possidentur, bona fide possidentur. Ad 2. pariter D. Min. Qui dubitat practico, exponit se periculo &c. C. Min. qui dubitat speculative tantum, & per iudicium reflexum iudicat certò contrarium, N. Min. Ad 3. N. Ant. Et enim, qui cum dubio inchoat possessionem, nulla ratio suffragatur, qua possit practico iudicare id sibi licere, ut patet: illi verò, cui post inchoatam bona fide possessionem supervenit dubium, suffragatur præsumptio orta ex ipsa possessione, seu ejus circumstantiis; suffragatur & Jura permittentia talem possessionem continuari, ex quibus practico iudicat se posse rem illam retinere: nec sibi satis constare videtur laudatus Theologus; siquidem infra de restit. in genere a. 5. sect. 3. sub finem, querens utrum possessor dubiæ fidei, si facta inquisitione remaneat dubium, possit rem vendere? Respondet affirmative.

Dices iterum cum Aurelio Pietre. Qui dubitat, an sit in statu peccati, non accedit cum bona fide ad Sacramentum Eucharistiæ: ergo similiter, qui dubitat, an res sit aliena, non eam bona fide possidet. R. N. conseq. disparitas est quod in primo casu nihil occurrat, quod dubitanti bonam fidem conferat, ut patet: in secundo autem occurrit tùm præsumptio ex ipsa possessione, tùm facultas Juris hanc possessionem ut licitam approbantis, ut sæpe dictum est.

Inst. cum eodem. Possunt occurrere motiva, quæ elidunt illam præsumptionem ex possessione: ergo. R. Vel ista motiva sic elidunt præsumptionem ex possessione, ut evidentè, aut probabilius ostendant, rem non esse possessoris, & tunc non remaneat dubium, de quo solo queritur; vel sic elidunt præsumptionem ex possessione, hoc non obstante remaneat adhuc dubium, & tunc succurrit possessori facultas concessa a Jure rem retinendi.

Repones cum eodem. Hæc facultas non colligitur certò ex laudato Juris axiomate, quod in pari causa, vel dubio melior sit conditio possidentis. 1. quia absquè eo quod totum concedatur possessori, verificatur in hoc, quod possessor non teneatur statim se possessione spoliare, sed possit antea inquirere, & quod Juxta non possit contra ipsam sententiam ferre; hoc enim duplici modo est melior conditio ejus. 2. Quia Glossa in hanc regulam adfert plura exempla ex diversis locis Juris, quæ ostendunt illa ad aliud pertinere, quam ad assecurandum eum, qui rem dubius possidet: ergo. R. Posthabitis rationibus allatis, & interpretatione Glossæ, laudatum axioma, ut dixi prius, in omnibus Tribunalibus Civilibus & Ecclesiasticis nostro sensu intelligi, sic ut totum sit adscribendum possessori & ita ubique iudicari; proindeque temerarium videri hanc universalem, tùm Reip. tùm Ecclesiæ, praxim & communem omnium cordatorum sensum velle sugillare.

Replicabis cum eod. Innoc. III. interrogatus, utrum conjux, dubitans de validitate Matrimonii possit petere & reddere debitum? Respondet posse reddere, non petere. Cap. Inquisitioni Extrà. de sententia excomm. libr. 5. tit. 39. ergo laudatum axioma non intelligebat Pontifex, uti nos intelligimus, alioquin non solum reddere, sed & petere debitum concessisset R. N. Conseq. sic enim & nos intelligimus in casu posito Matrimonii, sed inde non sequitur eodem modo esse intelligendum in bonis fortunæ: quia disparitas est primò quod in casu posito possessio Matrimonii non faciat præsumptionem pro illius validitate (puta quod prior Conjux sit potius mortuus, quam vivus; quod non sit impedimentum consanguinitatis, aut aliud) sicut possessio in bonis fortunæ facit præsumptionem pro jure possidentis. 2. Quia validitas Matrimonii alias invalidi non subiacet dispositioni Legum humanarum, sicut subiacet translatio, aut conservatio possessionis in bonis fortunæ.

§. VIII. Tempus legitimum.

Nota 1. Respectivè ad præscriptionem multiplex tempus distingui in Jure, breve, longum, longissimum & immemorabile. Breve est 3. annorum. Longum est 10. aut 20. ann. Longissimum 30. vel 40. ann. Immemorabile, cujus

non extat memoria apud seniores. Nota 2. Res, quæ præscribi possunt, alias esse mobiles, alias immobiles. Mobiles dicuntur, quæ loco moveri possunt: ut sunt animalia, vestes, currus, naves, instrumenta, pecunie, &c. ad quas reducuntur debita mobilia, & actiones ad illa. Immobiles sunt, quæ loco moveri non possunt, ut domus, prædium, &c. ad quas reducuntur jura & actiones ad immobilia, itè Beneficia, census, jus Patronatus, usufructus, & servitutes; hæc enim fixa manent, & instar immobilium fructum afferunt.

Dico 1. Res mobiles sive privatorum, sive Ecclesiæ (nisi forte excipias Ecclesiam Romanam) cum titulo præscribuntur spatio trium annorum, tam inter presentes, quam inter presentes.

Quantum ad res privatorum habetur Instit. de usucap. §. 1. & C. de usucap. transformanda. L. unica. Quantum ad res Ecclesiæ habetur Authent. Quas actiones alias decemalis; alias vicimalis, alias tricemalis præscribitur excludit hæc, si Religiosa loco competat, 40. annis excluduntur, usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore duranti: sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio. Propter quæ ultima verba excepti sub dubio Ecclesiam Romanam. Quidam enim hæc verba referunt ad solam præscriptionem decennalem, vicemalem, triennalem, quæ est de immobilibus: alii referunt ad totum contextum, proindeque ad usucapionem triennii, vel quadriennii, quæ est de mobilibus, & his favet Jus canonicum causa 16. q. 3. c. ult., ubi recipiens præstam authenticam non distinguit inter res mobiles vel immobiles, nec restringit ad solas immobiles, sed generaliter & indistinctè dicit Res Ecclesiæ Romanæ, hæc sunt verba: Venerandæ Romanæ Leges, divinitus per ora priorum Principum promulgata, rerum ejus (scilicet Ecclesiæ Romanæ) præscriptionem non nisi per centum annos admittunt. Vide, si lubet, Lessium hic dub. 7. prò & contra dissentientem.

Excipiuntur etiã res futuræ, quæ in cujuscumque manus perveniant, præscribi non possunt nisi spatio 30. ann. Inst. de usucap. §. futurarum. Unde, ut advertit ibid. Justinianus, in rebus mobilibus non facile procedit ut bonæ fidei possessoribus usucapio competat (intelligit tempore ordinario) nam, qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum ejus committit.

Dico 2. Absquè titulo res mobiles, sive privatorum, sive Ecclesiæ (excepta ut supra Romana) non præscribuntur nisi 30. ann. Quantum ad mobilia privatorum colligitur ex L. Sicut 3. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. libr. 7. tit. 39. ubi decernitur 30. ann. ad præscriptionem immobilium absquè titulo; & cum nihil aliud sit Jure sancitum pro mobilibus absquè titulo, colligunt Auctores idem de utrisque esse censendum. Quantum ad mobilia Ecclesiarum ratio est; quia cum Ecclesiæ (excepta forte Romana, ut antè) non habeant privilegium pro mobilibus, eodem modo loquendum est de illis, ac de mobilibus privatorum.

Dico 3. Res immobiles privatorum cum titulo præscribuntur 10. annis inter presentes 20. annis inter absentes. Ita Instit. de usucap. §. 1. & L. Cum longi C. de Præscript. longi temporis. absquè titulo autem sive inter presentes, sive inter absentes requiruntur 30. anni L. Sicut in rem & L. Si quis C. de Præscript. 30. vel 4. ann. Præsentes censentur Jure Rom. qui habitant in eodem territorio v. gr. Leodiensi, etiam si res alibi sint sitæ. Absentes è contra, qui habitant in diversis territoriis. In Gallia præsentes dicuntur, qui sunt sub unius Ballivi, vel Senecalli jurisdictione. Sed quia is, contra quem præscribitur, respectivè ad præscribentem potest esse partim præsens, partim absens. Notant communiter Auctores, duos annos absentis computandos esse pro uno anno præsenti; ita ut, qui possedit quinquennio inter presentes, si rei dominus absit in posterum, præscribens debeat iterum possidere decennio antequàm præscriptionem perficiat.

Dico 4. Ad præscribenda mobilia contra Ecclesiam Rom. sive cum titulo, sive sine titulo, sive inter presentes, sive inter absentes, requiruntur centum anni. L. cit. Quas actiones; contra alias Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, causas pias 40. anni, ibidem; contra Monasteria Ordinis S. Benedicti & aliorum Ordinum, qui hujusmodi privilegia communicant, 60. annis ex Privilegio Eugenii IV.

Hæ

Hæ sunt Regule communes, a quibus tamèn sunt plures exceptiones. Præcipuas pono. Excipitur 1. Pupillus, contra quem, quandiu est in ætate pupillari, nulla procedit præscriptio, sive mobilium, sive immobilium. L. Sicut in rem C. de Præscript. 30. ann. Si vero sit minor, requiruntur 30. ann. L. ultima C. in quibus causis. 2. Qui pacificè absquè simoniaco ingressu possidet triennio Beneficium, præscribitur contra actionem cujusvis impetitoris. Reg. 33. Cancellariæ. 3. Actio injuriarum expirat lapsu unius anni L. Si non convitit C. de injuriis. Actio ad accusandum adulterium ad penam sive criminalem, sive civilem, præscribitur lapsu quinquennii. L. Adulter C. ad Legem Juliam de Adulter. Non tamen extinguitur ad petendum divortium cap. Admonere 33. q. 2. Actio de alii criminibus accusandis ad penam extinguitur lapsu 20. ann. L. Querela C. de falsis. Non tamen extinguitur in Jure jus, quo possit ex officio procedere contra infamatam. Actio ad reclamandum contra professionem Religiosam expirat quinquennio ex Conc. Trid. ses. 25. de Regular. c. 19. 4. Si res hypothecata possideatur a debitore, vel ab ejus hærede, actio hypothecaria creditoris non extinguitur nisi 40. annis. Si vero ab alio, quam a debitore, & si ejus hærede, possideatur, ut si vendita fuit illi, qui ignorabat hypothecam, extinguitur decennio inter presentes, vicennio inter absentes. L. Cum notissimum C. de Præscript. 30. ann. & L. 1. & 2. C. Si adversus creditorem.

5. Actio Fisci contra bona Fisco addicta ob non solum vectigal, aut similem causam, extinguitur quinquennio L. 2. C. de vectigalibus & commissis. Si ob crimen aliud non extinguitur actio Fisci, quandiu res puniri potest. Quod si bona jam Fisco sint tradita, non extinguitur ejus actio nisi 40. annis L. Omnes de Præscript. 30. vel 40. ann. 6. Contra Civitates, & a fortiori contra Provincias & Regna, non præscribitur nisi 40. annis quoad bona, quæ ipsis obveniunt per hereditatem, legatum, fideicommissum, donationem, & emptionem. L. Ut inter divinum C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Idem cense de iis Regum, & Principum bonis, quæ sunt coronæ annexa, ut sunt Urbes, Castra, Prædia, Sylvæ, Vivaria, &c. quia hæc sunt bona Regni, seu Provincie. Quæ autem Rex, seu Princeps possidet ut privatus, præscribuntur ut bona privatorum. 7. Servitutes præscribuntur tempore ordinario ut immobilia, excepta servitute, quæ dicitur discontinua, quia non semper & continuò exercetur; ut servitus agendi currum per agrum alterius; hæc enim non præscribitur absquè titulo, nisi tempore immemorabili. Ita colligunt Auctores ex L. Servitutes 4. ff. de Servitutibus. 8. Immunitas a solvendis decimis cum titulo præscribitur 40. annis, sine titulo tempore immemorabili. Quamvis enim decimæ debeantur Jure naturalis, quia tamen interdum aliqui ex privilegio eximuntur, potest hæc exemptio præscribi. 9. Quando Jus commune, aut præsumptio malæ fidei obstat præscribenti res ab eo præscribi non potest nisi 40. ann. cum titulo, & sine titulo tempore immemorabili. Cap. 1. de Præscript. in 6. quia possessio immemorabilis habet vim tituli, quatenus facit justum titulum præsumptionem, & excludit præsumptionem malæ fidei.

De Dormitione & interruptione Præscriptionis.

Tandem plus solito temporis requiritur, quando dormit, aut interruptitur Præscriptio. Tunc dormire dicitur, quando jam inchoata cessat, si tamèn ut finita causa, propter quam dormiebat, iterum reviviscat, & posteriores anni computentur cum prioribus, non computatis iis, quibus dormivit. Et hoc accidit. 1. Tempore belli, aut pestis, quando jus non dicitur. 2. Quando is, contra quem præscribitur, agere non potest, ut pupillus, filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum, uxor vivente marito, captivus, absens propter publica negotia, ut Legatus. 3. Quando Ecclesia caret Rectore, aut habet impotentem, dormit præscriptio contra Ecclesiam.

Dicitur autem interrupti Præscriptio, quando sic cessat, ut, si rursus reviviscat, posteriores anni non continentur cum prioribus, sed debet de novo inchoari. Et id accidit. 1. Naturaliter, ut cum aliquid incipit deesse, quod necessariorum requiritur ad præscriptionem, ut bona fides, vel possessio, etiam vi ablata, si ejectus per vim non postulat intra annum restitui. L. 3. C. Undè vi. 2. Civiliter, quando nempe per actum juridicum interpellatur, ut per litis contestationem. Si tamèn actor spontè litem deserat, non interruptitur præscriptio, quia tunc censetur agnoscere injustitiam contestationis. Quidam etiã arbitrantur, litem contestationem non interrupti præscriptionem triennii. Theol. Billuart. Secunda secundæ.

nalem: conveniunt tamèn, quòd si præscribens condemnatur, debeat restituere.

§. VIII. An & quanto tempore consuetudo præscribat contra Legem?

Dico 1. (r. 2. q. 97. a.) Consuetudo non potest derogare Legi naturali, aut divinæ, utpotè in quam nihil potest humana potestas potest tamen derogare Legi humanæ, si sit rationalis, & legitime præscepta. Ita Can. Cum tantò 11. Extrà de consuetudine l. 1. tit. 4. his verbis: Cum tantò sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sane in rebus intelligit, naturali Juri (ejus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine; quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiã longeva consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationalis & legitime præscepta.

Dico 2. Consuetudo Legi contraria, quam Legislator scit in particulari & tolerat, tollit vim Legis post duas, vel tres ejus infractiones absquè determinato tempore, & independentè a præscriptione. Ita Sylvester v. Consuetudo n. 6. & alii passim. Ratio est: quia, dum Legislator scit, suam Legem non servari, & tolerat, etiam si id fiat metu difficultatum, censetur consentire, ut non servetur, ne Resp. perturbetur, sique implicite suæ Legi detrahit. Quæ autem opponi possunt ex Jure de longo tempore requisito ad hoc ut consuetudo deroget Legi, intelligenda sunt de consuetudine, quam Princeps in particulari ignorat, & quæ ideo indiget præscriptione. Undè

Dico 3. Consuetudo Legi contraria, quam Legislator ignorat in particulari, non præscribit contra Legem civilem nisi 10. ann. Ratio est: quia, quando Princeps ignorat consuetudinem in particulari, non censetur ita licet consentire, sicut illi, quam novit, & tollerat: sed illi in tantum consentit, in quantum consentit in genere decreto Juris, quo statuitur consuetudinem legitime præscriptam derogare Legi: ad hoc autem requiritur certum temporis spatium, quod Auctores determinant ad decennium contra Legem civilem ex L. 1. 2. 3. C. Quæ sit longa consuetudo, ubi dicitur, longam consuetudinem habere vim Legis. Decennium autem in Jure dicitur longum tempus. Idem esse dicendum de consuetudine adversus Legem Ecclesiasticam, nondum receptam moribus utentium, censent Navarr. Felinus, Dominic. Covarr. Asor. quos citat, & sequitur Lessius. At contra receptam 40. ann. requirit communior sententia Sylvestri, & aliorum; quia secundum Jura contra Ecclesiam non præscribitur nisi 40. ann. etiam si sufficere 10. ann. probabile reputat idem Lessius: quia obligatio subditorum ad Legem non dicitur proprie, & in rigore subditorum Ecclesiasticorum.

Utrem verò requiratur bona fides in subditis ad hoc, ut consuetudo præscribat contra Legem: affirmat Sylvester, Lessius &c. negat Sporer cum quibusdam aliis; quia inquit, alias vix unquam ulla Lex præscriberetur. Ego tamèn arbitror, requiri bonam fidem, ex illa Reg. generali, quod Possessor malæ fidei nullo tempore præscribat, a qua non datur exceptio in Jure Canonico. Ad rationem Sporer R. quòd, quando major pars Legem recusat, præsuntur prudentes Legislator non velle cogere suos subditos ad ejus observantiam, ne injiciat illis laqueum in eo ipso, quod ad eorum bonum ordinatum volebat; idque dum persuasum habent subditi, bonæ fidei dici possunt: & ex tunc tantum, meo saltè iudicio, currere incipit præscriptio.

Hic notandum pro conscientia, quòd, quando Lex aliqua passim non observatur, præsertim a viris probis, quamvis id nesciat in particulari legislator, nec effluxerit tempus requisitum a lege pro ejus præscriptione, & ideo possit Legislator, & qui ejus vices gerunt, hujus Legis nondum præsceptæ absque nova promulgatione observantiam urgere in foro contentioso, atque in eodem secundum hanc Legem iudicare; etiam in foro conscientie desinit obligare ex mente præsumpta Legislatoris, qui ut diximus, non intendit injicere laqueum animabus. At de hoc fortè latius, dum de Legibus.

§. IX. An & quanto tempore præscribat, qui rem bona fide accepit a possessore malæ fidei?

Dico 1. Hæres immediatus possessoris malæ fidei non potest ullo tempore præscribere. Ita Sylvester, & communiter. Patet ex §. diutina Instit. de usucap. ubi dicitur: Si ille (defunctus) initium justum non habuit, hæredi.

Hæ 2

di, & bonorum possessori, licet ignorantis, possessio non prodert. Idem L. ultima C. Communia. Ratio est; quia haeres immediatus ex fictione Juris censetur una eademque persona cum defuncto, & eorum possessio una eademque continuata possessio; sique ex ista fictione haeres immediatus censetur mala fide possidere, sicut ipse defunctus.

Dico 2. Haeres immediatus, item qui a possessore mala fidei immediatè quidem accepit, sed alio titulo, quam hereditatis puta, Legato, emptione, donatione inter vivos etiam si res mobilis sit furtiva, & immobilis vi possessa, potest praescribere. Ratio est; quia Jura duas fictiones ex eadem causa non admittunt, & ideo fictio illa Juris de mala fide haereditatis immediati non transit ad secundum haeredem, nec censetur eadem cum defuncto persona. Quod a fortiori est dicendum de Legatario, Emptore, Donatario &c. qui defuncti personam nullatenus representant & quibus ideo non nocet vitium auctoris, ut Jura expressè statuunt. L. An vitium ff. de diversis temporalibus Praescript.

Dico 3. Res, bona fide acceptae a possessore mala fidei, quatenus praescribi possunt, regulariter praescribuntur tempore ordinario. Ita communiter ex L. cit. An vitium. Dixi regulariter: quia excipitur 1. si res sit immobilis, & is, contra quem praescribitur, ignoret eam ab alio possidere. Si res sit furtiva, aut vi possessa: in utroque enim casu requiruntur 30. anni. Quoad primum casum patet ex Authentica Mala fidei C. de longi temporis Praescriptione. Quoad secundum patet ex §. furtiva Instit. de usucap.

Dices. Inst. de usucap. §. quod autem litt. 2. tit. 6. dicitur de rebus furtivis, & vi possessis, quod non solum fur non possit usucapere, sed nec ullus alius, quomvis ab eo bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit usucapiendi jus habeat: ergo. R. Haec Jura intelligenda esse de praescriptione temporis ordinarii, non de praescriptione temporis extraordinarii. Ita Jus posterius Codicis de diversis temporalibus praescript. L. An vitium, ubi dicitur vitium auctoris non obesse emptori, vel Legatario. Item expressè L. Super 1. C. de annali exceptione §. ad haec libr. 7. tit. 50. & alibi. Nec mirum, plura enim dicuntur in Jure non posse praescribi, quia non praescribuntur tempore ordinario, licet praescribantur tempore extraordinario.

§. X. Quae non possunt praescribi?

Primò, ea non possunt praescribi, quae non possunt possideri, ut jura Ecclesiastica a Laico, & alia de quibus supra §. 2. require ibi. 2. Contra jus naturale, aut divinum non procedit praescriptio; quia in ea nihil valet potestas humana, a quo pendet praescriptio. Hinc inferes subditum, quandiù manet subditus, non posse praescribere immunitatem ab obedientia, & correctione Superioris; item nec ab appellatione ad ipsum; item nec a solutione eorum, quae ipsi debentur in recognitionem supremæ illius potestatis: quia hæc sunt juris naturæ, & intrinsecæ auctoritati Superiorum respectu subditorum, Sociis de immunitate a solvendis certis tributis, & collectis, quæ non in recognitionem supremi domini imponuntur, sed pro expensis aliqujus belli, aut aliqua simili necessitate. Similiter potest praescribendi libertas, qua quis desinit esse subditus: quamvis enim sit de Jure naturæ, quod subditus, quandiù est subditus, obediatur suo Principi, non est tamen de Jure naturæ, quod sit illi subditus; & ita multi populi praescripserunt libertatem contra dominium imperii Romani. Excipe SS. Pontificem, cui omnes Christiani Jure divino subduntur. Item, licet sit de Jure naturæ, quod populus alat Ministros Ecclesiæ; quia tamen interdum aliqui ex privilegio, aut concessione eximuntur a decimis solvendis, potest exemptio praescribi 40. annis cum titulo, & sine titulo tempore immemoriali.

3. Praescribi non possunt, quæ sunt usibus publicis deputata, ut via publica, plateæ, pontes, &c. L. Usucapionem ff. de usucap. 4. Non potest praescribi homo liber, ut fiat servus L. ultima C. de longi temporis Praescript. 5. Limites certis Provinciarum, Episcopatum, & Paroeciarum non possunt praescribi; secus, si sint incerti. Ex cap. Dilectio 16. q. 3.

Notat hic Perfector Tournelli, Jure Gallico nulla temporis possessione praescribi servitutis prædiales sine titulo, Jura publici furni, & molæ, & res fiscales, seu quæ semel sunt incorporata Fisco; secus, si nondum sint incorporata. Notandum insuper, quod plura Jure Romano dicuntur non posse praescribi, quia non praescribuntur tempore ordinario, licet possint praescribi tempore extraordinario 30. annorum,

& supra: sic sunt res furtivæ, ut jam notavi: item res Fisci, Fideicommissa, Legata, Fundus dotalis, Majoratus, Bona adventitia, &c. L. Sicut C. de annali except. libr. 7. tit. 4. L. Sicut in rem. L. Omnes C. de Praescript. 30. vel 40. ann. libr. 7. tit. 30.

§. VI. Utrum Praescriptio valeat in foro conscientie.

Valere in foro externo, sic ut in illo non cogatur, qui praescripsit, reddere rem domino comparanti, neque huic detur actio adversus eum, qui praescripsit, indubitanum est. Sed an in conscientia, & Deo non teneatur praescribens reddere rem domino priori, si comparat, questio est. In hujus resolutione dubius habet S. Raymundus l. 2. Summa tit. 5. §. 15. sub finem, ubi prolatis Juribus præ & contra dicit, omnes ferè Theologos stare pro invaliditate praescriptionis in foro conscientie; omnes ferè Juris Doctores stare pro validitate, & addit: Consulere ei (praescribenti) ut restituat saltem propter ambiguum dupliciter, & quia vix poterit concurrere omnia, quæ exiguntur ad Praescriptionem. Si nollet acquiescere, non audeo sibi dare securitatem, quod sit in statu salvandorum, per Jura pro prima parte adducta. Non audeo etiam præcisè definire, eum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum, præsertim cum sic videatur seruari per universum orbem, quicumque se diffundit Ecclesia.

Hæc illic. Alii existimant valere dumtaxat, quando intercessit negligentia domini. Ita Adrianus VI. Alii tandem volunt, valere, non solum in casu negligentie domini, sed etiam quando res comparata est titulo oneroso, & secus, si titulo gratuito. Ita Alanus de insulis, quem novissimè sequitur est Franciscus Farvacques Augustinianus Lovaniensis.

Verum nunc, communi omnium ferè Theologorum & Juristarum consensu, constantique Juris tum civilis, cum Canonici praxi, sententia opposita prævaluit. Undè dico: Omnis Praescriptio legitime facta valet in foro conscientie, sic ut legitime praescripsit, si post Praescriptionem completam deprehendat, rem fuisse alienam, possit retinere ut suam; nec teneatur in conscientia reddere priori domino comparanti: sive hujus negligentia intercesserit, sive non, sive res fuerit comparata titulo gratuito, sive oneroso.

Prob. 1. Omnis Praescriptio legitima transfert in conscientiam praescribentis dominium rei praescriptæ, sive intercesserit negligentia prioris domini, sive non, sive res fuerit comparata titulo oneroso, sive gratuito: ergo. Prob. Ant. Praescriptio indistinctè, & indennitè definitur in Jure: Acquisitio domini per continuationem possessionis tempore Lege definitur. Authent. Quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesiis. l. 1. tit. 2. Inst. l. 2. tit. 6. de usucap. in l. 1. ff. de usucap. & alibi: quod Juris civilis dispositionem non solum non reprobat, sed positivè approbat Jus Canonicum, tum sua praxi; tum suis sanctionibus cap. Sanctorum Extra. de Praescript. l. 2. tit. 26. cap. De quarta ibid. cap. Ad aures ibid. cap. Quoniam finali ibid. & alibi. Hanc verò dispositionem Jus Canonicum non solum non probasset, sed positivè reprobasset, si salva conscientia non posset servari; sicut ob hanc causam improbat Praescriptionem mala fidei: ergo omnis Praescriptio legitima transfert dominium in conscientia, sive adsit negligentia domini, sive non, sive sit comparata titulo oneroso, sive gratuito. Consequentia patet. 1. quia propositio indefinita in materia dogmatica æquivalere universalis, ut loquuntur Dialectici. 2. Quia ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus L. De pretio §. ff. de publica in rem actione. 3. Quia universalis consuetudo, quæ est optima legum interpres, sic intelligit 4. Tandem, quia motiva, a ob quæ introducta est Praescriptio, & de quibus modo, communia sunt, & militent pro omni Praescriptione independenter a negligentia domini, & titulo acquisitionis: ergo.

Prob. 2. Negari non potest, quin Princeps, aut Resp. possit, si velit, ob commune bonum transferre dominia privatorum ab uno ad alium, independenter a negligentia domini; atqui id vult, ita exigente bono communi: ergo. Maj. patet; tum quia finis potestatis civilis est bonum commune, cui cedere debent bona privatorum: tum quia qua potestate in prima divisione assignavit particularibus distincta rerum dominia, eadem non potest auferre, si id exigat bonum publicum. Undè illud Aug. Tract. 6. in Joann. 25. & 26. Undè quisque possidet, quod possidet; nomine Jure humano? ... Jura imperatorum: quare, quia ipsa Jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. Tolle Jura Imperatorum; & quis au-

det dicere: mea villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est. Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessio- ni? per Jura Regum possidentur possessiones. Prob. Min. & quidem quod voluerit, patet ex Juribus cit. & pluribus aliis. Quod voluerit justus de causis in bonum commune, ostenditur istarum causarum expositione. Prima est: Ne diu & ferè semper quarundam rerum dominia incerta essent. L. 1. ff. de usurpat. & usucap. l. 41. tit. 3. Et ut aliquis litium finis esset. L. ultima ff. pro suo libr. eod. tit. 10. ac denique, Ne Possessores prope immortalis timore teneantur. L. Cum notissimi C. de Praescript. 30. vel 40. ann. l. 7. tit. 39. Secunda causa est, ut acuat negligentia dominorum res suas prosequi præmittentium. L. Ut perfectius C. de annali except. & cap. Vigilanti Extra. de Praescript.

Ubi vides, primam & præcipuam causam esse dependentem a negligentia dominorum, & quod procedat in foro conscientie: si enim in eo non valeret Praescriptio, remaneret semper incerta dominia, & eo magis quod diutius possiderentur, cum diuturnitate temporis veri tituli facilius amittantur, & falsi fabricentur. Non erit finis litium & rixarum saltem privatarum in familiis, dàm unus clam, aut vi rem suam rapere, aliter defendere contendet, & possessores immortalis timore ac perpetuis conscientie scrupulis teneantur: ergo.

Conf. cap. Sanctorum cit. Extra. de Praescript. dicitur, Sanctorum Patrum sanctiones statuisse; ut bona praescripta quietè & sincerè perpetuò teneantur; atqui, si Praescriptio non valeret in foro conscientie, sed remaneret obligatio restituendi, possessores non quietè perpetuò, sed anxii semper remanebant: ergo.

Neque dicas, hunc Canonem esse intelligendum de tranquillitate exteriori, non interiori; finis enim proprius Canonum & Sanctorum Patrum est vitare peccatum coram Deo, & conscientiarum tranquillitati invigilare; quam ob causam in præsentia materia improbat Praescriptionem mala fidei, quam videbantur admittere leges civiles.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Th. quodl. 12. a. 25. non assignat aliam causam institutæ Praescriptionis, quam negligentiam dominorum: ergo ea seclusa non valet Praescriptio in foro conscientie. R. N. conseq. S. Th. enim assignando unam causam non negavit alias. Ita Sylvius. Et sane, ut præcedentibus probationibus id adjiciam, cum non posset sæpe certò sciri, an fuerit negligentia domini, & quanta (debet enim esse gravis, ut tam gravi poena plectatur) si soli negligentie domini niteretur Praescriptio, res foret plena periculis & inutilis ad praxim.

Obj. 2. Juxta Reg. Juris 48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. Et Juxta Reg. 25. Sine sua culpa nemo re sua privandus est. Undè Aug. cit. a Gratiano causa 25. q. 5. c. 4. Si moxquam tenuisset ejus assensum, numerus te nullus defendisset amorum: ergo. R. ad 1. Praescribentem non locupletari cum injuria alterius: quia, qui utitur jure sibi per leges concessio, nemini facit injuriam. Quod si locupletetur cum alterius jactura, hoc non facit auctoritate privata, quod prohibetur per laud. Reg. sed auctoritate legum civilium & Ecclesiasticarum ob bonum commune id statutum. Ad 2. dico, S. Aug. non loqui loco cit. de dominio bonorum exteriorum, sed de mutua potestate, quam conjuges habent in corpora, quæ potestas semper perseverat, nisi uterque consenserit. Et ideo subdit ibid. S. D. Sed post quantumlibet tempus me consumuisse, nihil aliud tibi responderem, nisi quod ait Apostolus, uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.

Obj. 3. Bona fides est fundamentum Praescriptionis; atqui, dum constat etiam post Praescriptionem rem fuisse alienam, cessat bona fides: ergo. R. N. Min. Praescribens enim potest verè judicare rem, quæ fuit prius aliena, esse modò suam beneficio legis, sique permanet in bona fide. Quod si forte id sibi non possit persuadere, tenebitur quidem restituere; sed hoc per accidens, ratione conscientie erroneæ.

Obj. 4. Finis Praescriptionis est pax & tranquillitas publica; atqui hæc sufficienter obtinebitur denegando in foro externo actionem priori domino rem repetenti: ergo. R. 1. D. Maj. Finis Praescriptionis ut statuta per leges civiles est pax & tranquillitas publica, & Maj. ut statutæ per leges Canonicas, N. ut sic enim habet pro fine violationem peccati & conscientie tranquillitatem. R. 2. N. Min. Per id enim non sufficienter obviabitur litibus & rixis privatis, ut probatum est.

Inst. Post quinquennium praescribitur contra Religiosum

qui præterdit se non esse validè professum; atqui hæc Praescriptio valet tantum pro foro externo, ut scilicet in eo non audiat, non autem in foro interno, cum non ideo fiat verè Religiosus, si aliunde non sit: ergo similiter in aliis Praescriptionibus, R. N. conseq. Disparitas est, quod esse Religiosum non subjacet legibus humanis, sicut subjacent bona exteriora, sed omnino pendet a consensu profitentis, Undè non est hic proprie Praescriptio, sed dumtaxat exclusio a jure reclamandi in foro exteriori; vel, si vis, est Praescriptio juris reclamandi.

Obj. 5. Si Judex secundum allegata & probata adjudicasset bona uni litigantium, quæ ipse litigans certò sciret esse aliena, non posset illa retinere in conscientia: ergo similiter, si praescribens certò sciat rem fuisse alienam. R. N. conseq. Disparitas est 1. quod Judex ferendo sententiam non transferat dominium ab uno ad alterum, sed tantum declarat, ad quem secundum allegata & probata pertinet; secus Praescriptio. 2. Disparitas est, quod sententia Judicis nititur in falsa presumptione, quæ cedere debet veritati; secus leges Praescriptionis: non enim adjudicant rem praescribenti, præcisè quia presumunt esse illius, sed ne diu maneat incerta dominia, litium seges excrescat, & alius de causis assignatis, sive interim sit praescribens, sive alterius.

Inst. Post ultimam sententiam, a qua non datur appellatio, sequuntur eadem incommoda, nisi transferatur dominium, nimirum incertitudo dominiorum & privata lites; atqui tamèn leges non transferunt ideo dominium: ut dicitur in Responsione præcedenti: ergo nec in Praescriptione. R. N. conseq. Quia in arbitrariis non valet argumentum a pari. Id placuit Legislatoribus pro Praescriptione, ut constat ex dictis; non placuit pro supra sententia. Et ideo forte quia sufficit Praescriptio, cujus nempe beneficio etiam frui potest, qui vicit in lite.

Obj. 6. Nihil cogit intelligere dominium, de quo loquuntur Leges praescriptionis, de dominio absoluto & perpetuo, sed potest & debet intelligi de dominio quoad tempus, sic ut praescribens sit rei dominus, & ejus fructus faciat suos, donec resciat esse alienam: sic enim cessant incommoda, scilicet incertitudo dominiorum & lites; ergo. R. N. Ant. 1. Quia Jura absolute & non ad tempus concedunt dominium praescribentis, quod patet tum ex loc. cit. & maxime ex cap. Sanctorum, ubi conceditur quod res praescripta quietè perpetuò teneatur: tum ex eo quod non nisi raro & in certis casibus indulgant privilegium restitutionis in integrum, de quo modo. 2. Quia falsum est, quod assumitur in probationem antecedentis, nempe hoc modo cessatura incommoda. Hoc ipso enim quod dominium non sit absolutum, poterit adhuc ab aliis reperiri prolatis titulis dubiis, aut falsis, aliis verè diuturnitate temporis obliteratis, vel amissis, sique vacillabit semper dominia, nec finientur lites. Deinde, dato hæc via potuisse occurri inconvenientibus; non quarimus hic, quid poterint Leges, sed quid reipsa fecerint. Nec debemus presumere, quod semper fecerint id, quod nobis melius videtur; satis est, quod fecerint id, quod bonum est; & quod attentis circumstantiis visum est melius Legislatori. Sed

Petes 1. Utrum, qui rem praescripsit, non teneatur saltem reddere fructus, currente praescriptione perceptos, si postea resciat rem fuisse alienam? R. meo judicio teneri quia currente praescriptione nondum erat dominus rei, sed tantum possessor bonæ fidei, cum non fiat dominus nisi post elapsum tempus a Lege statutum. Intellige tamen de fructibus adhuc extantibus; aut de eo, in quo per ipsos factus est dicitur; quia est possessor bonæ fidei.

Petes 2. Utrum non detur aliquod remedium priori domino adversus praescriptionem? R. Dari, nempe restitutionem in integrum. Est autem restitutio in integrum, facultas a Jure concessa priori domino, qua possit auctoritate Judicis restituere in dominium & possessionem rei amissæ.

Hoc privilegium conceditur 1. Minoribus ætate. L. unica C. Si adversus usucapionem. 2. Ecclesiis & locis piis, quæ in Jure habentur instar Minorum, c. 1. & 2. de Restit. in integrum in 6. & communiter Doctores in Authent. Quas actiones C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Quo beneficio præfati tam Minores, quam loca pia potiuntur toto quadriennio a die, quo, re intellecta, integrum ipsis fuit repetere restitutionem; etiam si sciverint praescriptionem contra ipsos currere, & ei poterint resistere. 3. Iis, qui Republicæ causa absunt, aut in vinculis detinentur, aut alio legitimo impedimento non poterint rem suam currente praescriptione defendere, & hoc etiam quadrienni spatio a cessatione impedimenti. L. 1. ff. Ex quibus causis. L. ul-

Quasdam possessiones privatas, quædam prædia & latifundia Ecclesiam Romanam accepisse a Constantino Magno, negari non potest: patet ex sequentibus. Quantum verò ad supremum dominium sive in Urbem Romanam, sive in alias Civitates & Provincias, dissentiunt Auctores. Quidam eidem Constantino acceptum referunt, alii Christianissimis Regibus Pippino, Carolo Magno, eorumque Successoribus usque ad Carolum Calvum: quæ utrique profertur in suæ sententiæ defensionem, referemus.

Prob. 1. Sententia profertur 1. Edictum Constantini Magni quod legitur Tomo 1. Conciliorum, in quo Religiosissimus Imperator donat B. Sylvestro Papæ, ejusque Successoribus Palatium suum Romæ, ipsam Urbem Romam, & omnes Italiae, seu Occidentaliûm Regionum Provincias, Loca, Civitates, eaque Juri ac ditioni S. Romanæ Ecclesie perpetuo subjecti. Profertur 2. testimonium Anastasii Bibliothecarii in vita S. Sylvestri, qui scribit Constantinum Insulam Sardinie dono dedisse Ecclesie SS. MM. Marcellini & Petri, quam exererat in Suburbio Urbis Romæ. Profertur 3. quoddam Privilegium Dagoberti Francorum Regis, in quo dicit Rex, Constantinum dedisse S. Petro Arcem Romanii Imperii cum omni integritate. Profertur 4. epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum, data ann. 773. in qua scribit per eum esse restituta, quæ Ecclesie Romanæ ab Imperatoribus, Patriis, & aliis concessa erant in partibus Tuscie, Spoletæ, seu Benevento, atque Corsica simul & Sabiniensi.

DIGRESSIO HISTORICA.

Ad Præcedentem Dissertationem.

Cui Ecclesia Romana accepta refert sua Dominia.

Pro 2. Sententia profertur 1. Quod a temporibus Constantini Magni usque ad Pippinum & Carolum Magnum nulla fuerit auctoritas temporalis Romanorum Pontificum in Urbem Romam & Italiam. Quod probant 1. Quia Constantius Imperator, Filius Constantini Magni, vocat Liberium suæ Civitatis Episcopum, ex Theodoro L. 2. Hist. c. 16. 2. Idem Constantius ipsum Summum Pontificem Liberium exulem fecit Bœrocam Thracie, quod nollet subscribere condemnationi S. Athanasii, ex ipso Theodoro ibid. & ex S. Athanasio in Ep. ad Solitarios. 3. Prætextatus Romæ Præfectus Urbe expulit auctoritate Valentiani Imperatoris Ursicinum Antipapam, & Pontificatum Damasci successori Liberii adjudicavit, ex Rufino L. 2. Hist. c. 10. & Baronio ad ann. 368. 4. Similiter Honorius Imperator Jus dixit inter Bonificium electum Pontificem & Euthalium Pontificatum ambientem, & Bonificii electionem sacra sanctione firmavit: apud Baronium ad ann. 419. 5. Leo Augustus ann. 463. misit Anthemium, ut Romanis imperaret: apud Evagrium L. 2. Hist. cap. 16. 6. anno 476. Odoacer Rex Herulorum Romam & universam Italiam invasit, pulso in exilium Augustulo ultimo Romanorum Imperatore. Hunc Odoacrum post quatuordecim annos, pluries devictum, regno & vita privavit Theodoricus Gothorum Rex. Hunc verò supremam in Urbem Romam & totam Italiam potestatem habuisse, constat, ex eo quod absque ejus auctoritate non congregarentur Synodi, quod confirmaret Electiones Pontificum, ut patet ex actis Synodi IV. palmaris die. Constat etiam ex ejus Epistolis apud Cassiodorum, quod Senatui, Populo, & Præfecto Urbis imperaret, Judices Romæ designaret, ingressum in Urbem egressumque concederet &c. Theodorico successit Athalaricus, Athalarico Theodatus. Huic bellum indixit Justinianus Imperator, multisque reportatis victoriis Romam recuperavit ann. 537. Sub Imperatoribus autem Græcis ad Pippinum usque nullam etiam fuisse

Romæ & in Italia temporalem Pontificum auctoritatem probant ex eo, quod in Imperatoribus, mutata regiminis forma, creaverint Exarchum Ravennæ, qui præset toti Italiae, & in primariis Civitatibus ut Romæ, Beneventi, &c. Duces, qui Exarcho parerent, Exarchus verò soli Imperatori. In eo rerum statu Imperatores confirmatorum Pontificum auctoritatem usurpabant, quam interdum etiam Exarchis concedebant; in Schismatibus qui vellent Pontificatum decernebant; Pontifices sibi invidiosos exilio multabant; ipsis ut subditis jussiones sacras faciebant &c. Ex Anastasio Biblioth., in Agatone, Canone &c. ex Liberato in Breviario, & ex Joanne Diacono in vita S. Greg. I. 2. c. 40. Ad ejus probationem cumulum profertur Ep. Gregorii II. qui obiit ann. 731. ad Ursum Venetiarum Ducem, in qua Pontifex discretè testatur Urbem Romam subditam esse Imperatoribus; Ducentem rogat, ut cum Exarcho, qui capta Ravenna a Longobardis Venetias fugerat, adlaboret, ut Ravenna Civitas, inquit, quæ est caput omnium, ad statum pristinum sanctæ Reipublice in Imperiali Servitio Dominorum Leonis & Constantini Filiorum nostrorum Magnorum Imperatorum revocetur, ut zelo & amore fidei nostræ in statu Reipublicæ & Imperiali servitio firmè persistere Domino cooperante valeamus.

2. Profertur, in probationem 2. Sententiæ, donationes Regum Christianissimorum Pippini & Caroli Magni. Cum Aistulphus Longobardorum Rex Ravennam, & plures alias Exarchatus Urbes, fugato Eutychio ultimo Exarcho, invasisset, & Romanis Arcibus excidium minaretur, Stephanus II. frustra implorato Imperatorum Græcorum auxilio confugit ad Pippinum Francorum Regem; advenit Pontificum 6. Januarii 754. & 14. Aprilis ejusdem anni Pippinus in Conventu Carisiaco (Quercu) Stephano presentem promisit expeditionem in Italiam adversus Longobardorum Regem, & ex tunc ipsi donavit Urbes & Provincias, quas Tyrannus usurpaverat, ex Anast. Biblioth. in vita Adriani & D. Fleury l. 43. n. 12. Illata igitur in Italiam expeditione Francorum, Rex Papiam obsidet, & Aistulpho redacto, atque pacem petente, ea conditione obsidionem solvit, ut restitueret Romanæ Ecclesie, non solum ejus Patrimonia, quæ invasera, sed etiam Exarchatum Ravennæ, & adjacentes Provincias. At Pippino reduce in Gallias Aistulphus fidem fregit, nihilque restituit; quin e contrariis comparato exercitu Romam properavit atque obsedit: rursum Stephanus ad Pippinum datis Epistolis recurrit, Pippinus alteram expeditionem infert in Italiam, Papiam, quo Aistulphus, audito Pippini adventu, confugerat, iterum obsidet. Interim Imperatoris Copronymi Legati ad Pippinum accedunt, ipsumque rogant, ut Ravennæ Exarchatum, aliasque Provincias, quas a Longobardis jure Belli erat crepturus, restitueret Imperio, & non Sedi Apostolicae. Respondet Pippinus, se bellum adeo arduum non suscepisse nisi in honorem B. Petri, atque e vestigio donationem scriptam Exarchatus Romam transmittit. Interim Aistulphum premit, & ad petendam veniam fracti fœderis, atque ad restitutionem Civitatum, de quibus in primo fœdere pepigerant, cogit. De quibus omnibus Civitatibus receptis, inquit Anast. Biblioth. donationem in scriptis a B. Petro, atque a S. Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolica Sedis missis possidendam, quæ & usque hactenus in Archivio S. nostræ Ecclesie reconditas tenetur. Civitates Regis nomine recipit Fultaldus S. Dionysii Abbas, obsidesque a singulis Civitatibus datos, una cum clavibus, & supra scripta donatione S. Sedi, Pippini nomine, obtulit. Hæc ann. 756. Complectebatur Pippini donatio tres Provincias, Picenum, Flaminiam, & Æmiliam, & in eis 20. præcipuas Civitates inter quas Ravenna, Ancona, Bononia & Ferraria eminebant; post hæc Imola, Faventia, Ariminum, Pisaurum, Urbinum &c. Æmilia autem continebat Ducatus Parmensem, Placentinum, & Mutinense. Ravennæ etiamnum legitur, inquit Papyrius Massonum l. 2. Annal. & Baronius ad ann. 758. vetus inscriptio his verbis exarata. Pippinus, Pius. Primus. Ampliande Ecclesie viam aperuit et Exarchatum Ravennæ cum amplissimis &c. Reliqua inscriptionis verba delevit injuria temporum. Anno. 773. Carolus Magnus Pippini Filius, Adriani Papæ precibus motus, trajecto in Italiam Exercitu, Desiderium Longobardorum Regem Ecclesiam Romanam iniquè vexantem compescuit, quem captum cum filio ejus Adalgiso redaxit Victor in Galliam Longobardorum Rex appellatus, prius Romanæ Ecclesie non solum restituit Provincias, quas illi concesserat Pippinus, & quas Longobardi eriperunt, sed etiam adjectis Territorio Sabiniensi, Ducatu Spoletino & Beneventano, aliisque plurimis: Ex Anast. Biblioth.

in vita Adriani. Anno 807. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Paschali Pontifice Maximo, confirmavit donationem factam Ecclesie Romanæ a Decessoribus suis, adjecta integra Sardinia: Ex Leone Ostiensi in Chronico, & ex Cassinense l. 1. c. 18. Similiter Carolus Calvus Ludovici Pii filius Prædecessorum suorum beneficia in Ecclesiam Romanam confirmavit. Ex Ep. 9. Joann. VIII. ad Landulphum Capuanum Episcopum.

Ad 1. fundamentum 1. Sententiæ respondent Patroni secundæ, Edictum Constantini esse supposititium, idque probare contendunt. 1. Quia, ut mox ostensum est, a tempore Constantini usque ad Pippinum Summi Pontifices nullam sive Romæ, sive in aliqua alia Italiae civitate, vel Provincia jurisdictionem temporalem habuerunt. 2. Quia antiquiores Auctores de illo Edicto siluerunt, cum ipsorum intererat illud appellare. Sic de illo siluit Adrianus I. in Capitulis, Angilramo Episcopo Metensi datis, in quibus privilegia, & jurata Romanæ Ecclesie stabiliri. Siluit Anastasius Biblioth. in vita S. Sylvestri, cum tamèn omnia Constantini Magni in Ecclesiam beneficia minutatim recenset. Siluit Nicolaus I. in Ep. ad Michaëlem Græcorum Imperatorem, in qua recenset Imperatores, qui de Romana Ecclesia bene meriti sunt. Siluit Luitprandus Othonis primi Legatus ad Nicephorum Phocæm Græcorum Imperatorem, cum ipsi exponeret beneficia Constantini in Ecclesia Romanam. Siluit Burchardus Wormatiensis in sua Canonum Collectione. Siluit tandem Gregorius VII. qui omnes conatus adhibuit, & omnia Antiquitatis monumenta lustravit, ut temporalem SS. Pontificum auctoritatem defenderet. 3. Eo Edicto statutum, ut Ecclesia Romana habeat Principatum super Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, & tamèn tunc Byzantium nondum erat auctum in Constantinopolim, nec Imperatoris nomine insignitum; id enim contingit tantum ann. 330.; Edictum autem scribitur datum sub 4. Consulatu Constantini, qui fuit 317. Item in eo memoratur Baptisma Constantini, quod longè post dictum annum accedidit fatentibus adversariis. Item dicitur Constantinus 4. Consul. cum Gillicano, & tamèn constat fuisse 4. Consulatum Licinio. 4. Illud Edictum donat Sylvestro Urbem Romanam, & totius Italiae, seu Occidentaliûm Regionum Provincias. Porro constat, Romanos Pontifices nunquam fuisse totius occidentis Dominos; & quod Italiam spectat, præter ea, quæ jam diximus, hanc Constantius paterno testamento tribuit filio suo Constanti in partitione Imperii, quam fecit inter filios: teste Victore in Constantino, Socrate libr. 2. Zonara tom. 2. Annal. Hanc autem Filio non dedidit, si jam in ditionem SS. Pontificis tradidisset. 4. Hoc Edicto statutum quod Ecclesie Romanæ Clerici fiant Patricii, & Consules; quod Romanæ Ecclesie Clerus ornetur sicut militia Imperialis; quod Clericorum equi manipulis, & linteamibus candidissimis coloris ornentur, & ita equeant; quæ omnia videtur absurda. Plures alias rationes suppositionis hujus Edicti referunt Auctores, qui illud explodunt, quales sunt Æneas Sylvius, Hieronymus Paulus Camerarius Alexandri IV. S. Antoninus, Cardinalis Cusanus, Cardinalis Baronius, Glossa Decreti, Spondanus, Morinus, de Marca, Laurentius Valla, Moreri, Natalis Alexander. Nec refert, quod hujus Edicti circa medium sæculi 9. meminerit Hincmarus Remensis, & hic primus, post ipsum Leo IX., Petrus Damiani, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, & Gratianus; efficacium enim ejus suppositionem probant tum antiquiorum silentium, tum rationes, quas protulimus.

Ad 2. respondent, Anastasium Biblioth. loc. cit. per Insulam Sardinie non intelligere illam celebrem maris Mediterranei Insulam, cum verisimile non sit Regionem tam latè patentem referre dumtaxat censûs annui 1024. libellas, at narrat laudatus Auctor, tot scilicet, quot civis Civi sua

villa suppedicaret. Neque itèm verisimile sit, Constantinum tantam Provinciam dedidisse uni privatae Ecclesie in Suburbio Romæ, cum aliis præcipuis Urbis Ecclesiis prædia tantum, & latifundia tribueret. Nominè itaque Insulæ hic non significatur Terra continens in medio mari, vel flumine, sed domus a cæteris avulsa viis undequaque cincta, sicut Insula maritima undequaque pelago cingitur: domibus enim hujusmodi apud Romanos esse metaphoricè translatum Insulæ nomen, probant ex Suetonio in vita Tiberii C. 48. & in vita Neronis C. 16. ex Spartiano, ex Sexto Rufo, ex Victore, & aliis. Ex quibus concludunt: Insulam Sardinie, de qua loquitur Anastasius, fuisse domum, quæ complectebatur hortos quosdam, agellos, ut vineas muris septas, & quæ viis undequaque cingebatur, hæcque domum, cum nomen erat Sardinia, & quæ Romano more Insula vocabatur, Constantinum dedidisse in dotem Ecclesie SS. Marcellini, & Petri, quam in Suburbio Romæ Civitatis extrui curaverat.

Ad 3. quidam respondent, per Arcem Romanam Imperii non significari urbem Romam, sed Palatium Lateranense, in quo Constantinus magnificam erexit Ecclesiam, quæ ejus nomine Basilica Constantiniana nuncupata est, & quæ semper fuit Sedes Romani Patriarchatus. Alii respondent, hos Dagoberti Privilegium esse supposititium.

Ad 4. respondent, verbum restituendi, quo interdum utuntur Pontifices, cum de Regum Christianissimorum magnificentia ergà Sedem Apostolicam loquuntur, referri non ad Urbes, aut Provincias, sed ad Patrimonia, quæ Ecclesie eriperunt Longobardi. Patet ex altera ejusdem Adriani Ep. ad Constantinum, & Ironem, quæ refertur Act. 2. Synodi VII. in qua distinguit Arces, Urbes, & Provincias a prædiis, & latifundiis, seu Patrimonio Ecclesie, illasque datas dicit a Carolo Magno, hæc verò restituta. Vel etiam Provincie potuerunt dici restitute, non supponendo donationem factam a Constantino, quippe quæ nulla fuit, sed supponendo primam donationem factam a Pippino, quam secundum pacta non adimpleverant Reges Longobardi, aut adimpletam rursùm violaverant. Nec refert, quod in priori Ep. Adrianus dicat, Constantinum dedidisse Ecclesie Romanæ potestatem in his Hesperiae partibus; quia intelligitur potestas, non dominationis in Urbes, & Provincias, sed proprietatis in prædia, & latifundia.

Instant insuper adversarii hujus 2. sententiæ. Juxta Anastasium Biblioth. in vita Zachariæ, Luitprandus Longobardorum Rex ann. 742. ante tempora Pippini, & Caroli Magni ipsi Zachariæ Papæ restituit 4. Civitates Ducatus Romanici: ergo. R. Has Civitates fuisse restitutas Zachariæ, non pro ipso, aut pro Sede Romana, sed pro Imperatoribus Græcis, inter quos, & Longobardos mediator erat, & sequenter Zacharias.

Urgent. Male parta donari non possunt, sed restitui debent legitimis dominis; atqui Imperatores Græci erant legitimi Domini Provinciarum Italiae, quas usurpaverant Longobardi: ergo eas Pippinus, & Carolus Magnus donare non potuerunt Ecclesie Romanæ. Respondent, has Provincias, quamvis primitus pertinerint ad Imperatores Græcorum, tamèn factas esse Pippini, & Caroli Magni proprias jure belli quia dominium alicujus rei amittit, inquit, qui illam invasoribus permittit, & deserit, eamque sibi ereptam recuperare negligit. Undè, cum Imperatores Græci Italiae urbes, ac Provincias a Longobardis occupatas, & iniquè vexatas recuperare neglexerint, atque instantibus, ac urgentibus Romanis Pontificibus suppetias adversus Tyrannos ferre recusaverint, ab earum Provinciarum dominio exciderunt, quod Pippinus, & Carolus Magnus debellatis Longobardis, & Provincias, quæ sub eorum Tirannide gemebant, occupatis, jure victoriae legitime consecuti sunt; adeoque non res alienas, sed suas Ecclesie Romanæ donarunt.

DISSERTATIO V. DE JUSTITIA.

Div. Thom. Quæst. 58.

Inter varias Justitiæ acceptiones dupliciter potissimum accipitur. 1. Generalitèr pro sanctitate Christiana, seu pro collectione omnium virtutum: justum enim dicitur quod est suæ regulæ adæquatam; & Justitia, quæ hanc

adæquationem efficit: omnium autem virtutum collectio reddit voluntatem adæquatam suæ regulæ, nempe Legi Divinæ, proindeque rectè dicitur Justitia, & qualibet virtus pars Justitiæ. De Justitia hoc sensu accepta intel-